

dam in seculo positos nequissimos homines, qui cum viderint filios suos bona  
indole decorari nec emulatores sue malitie, statim quasi alienos reputant; post-  
modumque si ad malitiam convertantur, recognoscunt quasi proprios et eorum  
10 nequitiis fomenta scelerum amministrant.

**LV. De gribus.** Grues aves sunt, que volant ordine litterato. Gruem de-  
scribunt Plinius et Solinus, Iacobus, Ambrosius et Ysidorus. Quotiens  
expeditiones suas dirigunt, sub quodam militie eunt signo. Nam que preest omni  
agmini voce castigat alias, ut ordinem non deserant. Qua raucescente alia suc-  
5 cedit eidem officio deputata. Nocte inter se excubias dividunt, ut decima queque  
exsompnis sit. Ille que vigilant suspenso a terra pede lapis tenent, quo labente  
dum dormire volunt evigilantes clamant. Dormiunt autem subter alam condito  
capite alternis pedibus insistentes. Dux erto providet collo ac prospicit. Cum  
vero longius volare habent, in aeris altiora contendunt, ut excelsiori specula  
10 metantur quas petunt terras. Ut dicit Experimentator, grues si prospexerint  
nubes pluviosas, clamant et vociferant sollicitantque ducem celeriores captare  
volatus. Quando ceciderint super terram, ut comedant, erigit dux earum in  
altum caput et hoc in custodiam omnium, cetere vero secure depascunt. Qui si  
15 viderit hominem, clamat, ut sollicitas reddat incautas. Reliquis avibus carnes  
habent graviores, unde fieri debet, ut occisa grus uno die in estate, duobus in  
hyeme servari debet, antequam comedatur, scilicet ut caro fiat digestibilior  
atque tenerior. Grues semper primo moventur in extremitate terre, et semper  
volando opponunt se vento. Grus unius visceris ductum habet. Pontum transi-  
ture arenas devorant. Habent quandoque in stomacho lapidem, quem evomunt.  
20 De quo lapide dixerunt qui experti sunt, quod ipse lapis mediante igne transit  
in aurum. Et est verisimile, quia probabile est, quod aliqui lapides in multis  
locis sunt, qui auricalcum dicuntur, de quibus aurum optimum fit. Et hos lapides  
vel horum similes grues tollunt de locis suis et glutinunt ac revomunt, cum ad  
nos redierint. Lapillulis quoque ad moderatam gravitatem se onerant, ne ex-  
25 peditonis principiis agilitate nimia defatigentur. Igitur sublate in altum angu-  
stias captant, et quidem promptum est eis oculis deprehendere spatia itineris,  
quod habent peragere. Ergo cum contra medium alveum adventasse se sciunt,  
lapidum sarcina pedes liberant. Hoc naute prodiderunt compluti sepe ex illo  
casu imbre saxatili. Harenas non prius revomunt, quam secure sedem recepe-  
30 rent. Concors cura est omnium pro fatigatis adeo, ut si que defecerint, congruant  
universe lassatasque sustollunt, usque dum vires otio recuperent. Etatem color  
prodit; nam nigrescunt senectute. Gens Pigmea cum hiis pugnare dicitur ha-  
bentque indutias, cum grues recedunt. Stat femina grus, cum calcatur a mare  
in coitu. Dicit Aristotiles de Pigmeis in libro de naturis animalium ita referens:  
35 Ad plagam septentrionalem ultra Egyptum, ubi currit Nilus, adveniunt grues  
tempore hyemis; quibus occurunt Pigmei, homines cubitales, et pugnant cum  
eis. Glosa etiam super locum illum Ezechielis: *Gens Pigmea in turribus tuis*  
dicit quod talis gens est in partibus orientis. Sed ipse Aristotiles ita dicit, quod

utique non est pigmentum, sed invenitur in rei veritate quoddam genus hominum  
 40 parvum et equi parvi similiter manent in locis montuosis. Grues autem volant aliquando usque ad extrema terre, ut terram suis complexionibus aptam inveniant; et semper volando se vento opponunt. Dicitur quod volantes post hyemem a montibus orientis harenas aureas et auricalcum lapidem transglutint et postea revomunt in partibus transmarinis. Pugna gruum adeo fortis  
 45 et pertinax est, ut possit manu hominis capi.

**LVI. De glutti.** Glutis avis est, ut dicit Plinius. Hec longam exerit linguam, unde Grece nomen ei datum est. Hec instantे hyeme recendentibus hyrundinibus ac ciconis in initio peregrinationis blandiente sibi societate recendentium avide iter aggreditur, sed postea volatu in labore comperto penitentia ducitur. At  
 5 quia incomitata reverti piget, sequitur aves alias tanto tamen tedio parvisque dietis, ut eam incompleto itinere hyems anticipet. Cycramus vero Asie avis festinantior perseverat et ad expetitas sibi terras indefesso labore properat. Sed et socias itineris alias aves instantius de nocte excitat ammonetque itineris.

Significant autem hee due aves peregrinos quoslibet, quos signatos cruce  
 10 sepe videmus vel in terram sanctam ad recuperandum gloriosum Christi sepulcrum et templum dominicum vel in aliis mundi partibus, ubi ecclesiastica necessitas filios pios invitat. Sunt ergo inter hos multi, quibus placet vicinorum grata societas, sed cum laboris iter vel modice experti fuerint, querunt dispensationem. Legatos Roma multiplicat, qui eos pecunia mediante sanctificant liberosque  
 15 peccatis per litteras recommendant. Bona salus et vere beata indulgentia omnium peccatorum! et qui hanc promeruerint, iure tripudiant. Sed o, quanti monachi in claustris sunt, qui longo tempore longa ieunia, disciplinas graves, silentium quasi continuum, vestem asperam nocturnasque vigilias, et in his omnibus victum tenuem et vix ullum solatium: et hec omnia annis plurimis pertulerunt,  
 20 et tamen necdum ullius indulgentie litteras acceperunt. Credo tibi, Paule; sed et in apostolatu tuis successoribus credo. Credo, inquam, tibi qui veridico ore dixisti, quod *reddet* dominus *unicuique secundum laborem suum*. Taceam de fratribus nostris predicatoribus, qui studiis continuis et vigiliis macerati non habentes in zona es, sed maxime membranas Pauli, non in equis aut curribus,  
 25 sed fassis artibus et pedibus gradientes predicationibus terras circueunt. Sed de fratribus minoribus quid tunc dicerem, qui duro cincti funiculo et sine amictu cappe vel pallii, induiti tunica super nudo, pedibus nudis super nivem gelidam quasi super lanam deambulant, si non secundum suum laborem retributionem premii sortirentur? Tu ergo, peregrine, gluti ave signatus, si votum  
 30 vovisti deo in cruce suscepta: si vires sufficiunt, votum imple! noli querere dispensationem, nisi talis necessitas urgeat, per quam excusatus esse possis ante ipsius Christi faciem iudicantis, qui utique persuadentibus Iudeis et principibus sacerdotum de cruce descendere recusavit, sed usque ad mortem in cruce permansit. Tu ergo imitare Christum, imitare cycramum prudentem avem, que  
 35 letanter preit, socias sollicitas reddit et excitat sompnolentas.